

P I S A

1 6 0 8






EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*



an. <sup>XXIII</sup>

  
MATTHÆI & PETRI  
VVESENBECIORVM  
I. V. DD. CELEBERRIMORVM

Vota Nuptialia

VIRO DOCTRINA, VIRTU-  
teque ornatissimo Domino PAVLO  
VETZERO I. V. scientia prædito,  
Sponso: Sponsæque eius Virgini hone-  
stissimæ pudicissimæque ANNÆ, Me-  
dici clariss. D. Henrici Stromeri Aur-  
bachij Nepti, Viri q; optimi & ciuis  
Lipsensis primarij Henrici  
F. nuncupata.




LIPSIÆ

Iohannes Rhamba imprimebat

M. D. LXVIII.





M. D. LXXIII.





V O T V M  
N V P T I A L E

Dn. PAVLO VETZERO  
nuncupatum

à

Matthæo Wefenbecio

I. V. D.

*M*axima coniugij laus est, quod Apostolus inquit,  
Cuius PAVLE sacrum nomen, amice, geris.  
Mystica sunt, captumq; meae superantia mentis,  
Quae de connubij foedere Paulus ait.  
Esse haec arcanae mysteria conscia spondes,  
Quam cum dilecta Christide Christus init.  
Qui massam assumens humanam, perpete nexu  
Copulat, ut capiti, nos sua membra sibi.  
Ut nihil à nobis seiunctum habeatq; velitq;  
Non mage quàm cerebro corpus abesse potest.  
Et sua nobiscum communicet optima, rursus  
Nostra suum ducat, deteriora licet.  
Utq; tulit crimen sociatae carnis & iram,  
Huic ita det meriti munus habere sui:

A 2

Laeti



Læticiam simul æternam, pacemq; DEV Mq;  
Quo nihil & melius, nec dare maius habet.  
Vt quasi comparibus communia regna putentur,  
Quæq; patent terra, & quæ super alta latent.  
Quo iam sit parilis sors hic, eademq; deinceps  
Cum patri adductam sistet in astra nurum.  
Arcibus & rutilis quæ puncta hinc ignea parent  
Ante thronum superi & pone locabit heri. *Commentus q. Jovis*  
Perpetuo ut secum dein immortaliter ævo  
Imperij teneat gemmea sceptrâ sui. *fulgida*  
Ac de luce sua vitam radiosq; perennes  
Hauriat, & nullis gaudia mixta malis.  
Haud aliter socio quàm fratris ab orbe coruscat  
Obscurum relegens Cynthia noctis iter.  
Vtq; animi sensus, oculorum lumen, & auras  
Cætera de capitis viscera fonte trahunt.  
Nec secus ac sortis consors est lege iugali,  
Conuenit in iuuenis fœmina si qua manum.  
Participes fiunt fortunæ utriusq; larisq;  
Iureq; censentur vir mulierq; pari:  
Quos genialis Hymen, tum connubialia iunctos  
Scita, sodalitij uiuere more iubent.  
Vita indiuidua, mensis communibus, vna  
Iugiter inq; domo, iugiter inq; toro.

Hæc



*Hæc tibi sint cordi affinis carissime, postquam  
Ducitur in thalamos casta puella tuos.  
Te sincera fides, & relligiosa voluntas,  
Immemorem Domini non sinit esse sui.  
Qui IOVAM à teneris didicisti ritè uereri,  
Doctoris PAULI & nomen, & omen habes.  
Nomen apostolicis studijs ac moribus aptum,  
Inuolucro tenui quod bona magna tegit.  
Ergo tuum quoties licito flagrabit ab igni  
Pectus, ad ambrosiæ virginis intuitum,  
Inq̃ oculis habitans aciem quasi tela cupido  
Conijciet nymphæ pulcra per ora tuæ,  
Et formosa uidebuntur super omnia amanti,  
Gratum erit & nimium quicquid amica facit:  
Basia cumq̃ dabis, totidem capiesq̃ uicissim,  
Mutua non dubiæ symbola amicitiae:  
Inq̃ tuos ruet amplexus pulcerrima costa,  
Promta mori tecum, viuere promta simul.  
Quam tibi legit amor multis de millibus vnâ,  
Composuit lateri conditor ipse tuo:  
Tum fac succurrat species ardentis IESV  
Christida, quam proprio sanguine victor emit.  
Asseruitq̃ sua ferali à clade redemptam  
Morte, pio soluens debita lytra patri.*



Hanc miserans teneram blandis amplectitur vlnis,  
Et fouet in molli ceu sua membra sinu.  
Osculaq; alternans cordis transmittit amores,  
Et motum atq; animæ flamina viua suæ.  
Abluit & sordes pretioso rore salutis,  
Qui loge de labris funditur alme tuis.  
Nec patitur pessum ire ream, cui signa reatus  
Abstulit, & Stygij vincula carnificis.  
Sed secum multa uult libertate potiri,  
Quæ caro sit carnis pars quotacunq; suæ.  
Ac quoniam placet, & cara est, ignoscitur illi,  
Si quid habet naui, si maculata rubet.  
Munere quo uiuit, victura perenniter olim,  
Omnia in omnigenis cum sator unus erit.  
Deq; triumphatis Victricia signa reducens  
Hostibus, ad cæli sydera pandet iter:  
Serta suæ Sponsæ mox impositurus ouanti,  
Serta immortalis florida iusticiæ.  
Quo modò per varios casus & mille pericla  
Et mala, quæ Mundi plurima limes habet,  
Deducit sociam comitantem haud passibus æquis,  
Sustentatq; sua duxq; comesq; manu.  
Illa potest quantum, non quantum debet, honore  
Prosequitur Dominum condocefacta suum.

Seni



Se nihil hunc præter Rectorem scire fatetur,  
Non alijs etiam gaudet amata procis.  
Non aliud spectat noctesq; diesq; precando,  
Solicitam quærens comparis huius opem.  
Ut placeat tali quo stat desponsa marito:  
Nec minor est dulcis Sponsi in amore fides.  
Cuius & obtutus, & chari cura patroni *suam / amant*  
Figitur in cursus dia Virago tuos.  
Officium præsto est, & pollens cuncta facultas,  
Et manus auxilijs obsequiosa tuis.  
Quin etiam quanto potis est magis, hoc magis illam  
Immoti redamat pectoris Immanuel. *Em*  
Huic ego tædarum autori spondæq; iugalis,  
Quam pacti voluit pignus habere sui:  
Teq; tuamq; meis votis, sanctumq; hymenæum a  
Commendo, ô animæ portio P A V L E meæ.  
Ipse tuas diuo cohonestet carmine tædas,  
Qui subit æterni munera Pontificis.  
Pronubus ipse tibi concordis fœdera lecti,  
Unanimi pangat non temeranda fide.  
Qui rex & custos diuinæ pacis, & actor  
Pacifico iussit numen inesse toro.  
Et letum faciat cumulata prole parentem,  
Cum sobole & patrias Dis locupletet opes.

Det




Det tibi quicquid aues, fortunam, artemq; fruendi,  
Hæc VETZERE animi signa fauentis habet.  
Hæc rata sint: rerum moderator cœpta secundet,  
Sit breuis optati hæc deniq; summa mei:  
Viuite felices, liget unus spiritus ambos,  
Vnaq; mens soli consociata DEO.

F I N I S.

Det













Fc 1249.  
gn

ULB Halle

003 422 747

3



bitte noch kein

sammelbd. verwenden

nach Ausleihe


an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17







an. *VIII.*



MATTHÆI & PETRI  
VVESENBECIORVM  
I. V. DD. CELEBERRIMORVM

Vota Nuptialia

VIRO DOCTRINA, VIRTU-  
teque ornatissimo Domino PAVLO  
VETZERO I. V. scientia prædito,  
Sponso: Sponsæque eius Virgini hone-  
stissimæ pudicissimæque ANNÆ, Me-  
dici clariss. D. Henrici Stromeri Aur-  
bachij Nepti, Viri q; optimi & ciuis  
Lipsensis primarij Henrici  
F. nuncupata.



L I P S I Æ  
Iohannes Rhamba imprimebat  
M, D. LXXIIII.

